



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illis qui ducatum præstant, & deprædatores super Christianos ducunt.  
ciii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

pœniteat. Si non habuerit unde reddat, annum unum pœniteat. Si laicus per dolum sanguinem effuderit, reddat illi tantum quantum nocuit: & si non habet unde reddat, soluat in opera proximi sui, quâdiu ille infirmus est, & postea XL. dies in pane & aqua pœniteat.

*De eadem re. Cap. CII.*

*Ex pœnitentiâ Beada presbyteri.*

**VI**ctum proximo dederit, & non nocuerit, tres dies pœniteat in pane & aqua. Si clericus, annum vel dimidium. Si quis alicui quodlibet membrum voluntate sua truncauerit, tres annos pœniteat, unum ex his in pane & aqua. Paruuli inuicem se percutiētes, tres dies: Si verò adolescentes, XX. dies pœniteant.

*De illis qui ducatum præstant, & deprædatores super Christianos ducunt. Cap. CIII.*

*Ex pœnitentiâ Romano.*

**SI** quis præbet ducatum super Christianos ut deprædentur, & non acciderit strages Christianorum, tres annos pœniteat. Sin verò, eiectis armis, vsque ad mortem mundo mortuus viuat.

*De illis qui per amorem venefici fiunt. Cap. CIII.*

*Ex pœnitentiâ Theodori.*

**SI** quis per amorem veneficus fit, & neminem perdidit. Si clericus est, annum pœniteat, in pane & aqua. Si subdiaconus, duo. Si diaconus, tres, unum ex his in pane & aqua, & laicus dimidium annum pœniteat, maxime si per hoc mulieris partum quisque deceperit, tres annos unusquisque superaueat in pane & aqua, ne homicidii reus sit.

*De illis qui hæreticis, nescientes, vel scientes se in aliquibus commiscuerint. Cap. CV.*

*Ex decretis eutychia. papa.*

**SI** quis dederit, aut exceperit communionem de manu hæretici, & nescit quod catholica Ecclesia contradicit, postea intelligens: annum integrum pœniteat. Si autem scit, & neglexerit, & postea pœnitentiam egerit, decem annos pœniteat, alii iudicant septem: & humanius V. annos pœniteat. Si quis permiserit hæreticum Missam suam celebrare in Ecclesia catholica, & nescit, XL. dies pœniteat. Si pro reuerentia eius, annum integrum pœniteat. Si pro datione Ecclesiæ catholicæ, & cōsuetudine Romanorum proiciatur ab Ecclesia sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiâ, si habuerit, X. annos pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia catholica in cōgregationem hæreticorum, & alios